DE

REPETITIONE VERSVVM IN FABVLIS EVRIPIDEIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XIX. MENSIS MAII A. CIƆIƆCCCLXVI

PVBLICE DEFENDET

PROSPER WESENER
GVESTPHALVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:
AVGVSTINVS FUERTH PHIL. DR.
ROBERTVS NIEBERDING PHIL. STVD.
GEORGVS WESENER PHIL. STVD.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGI.

PATRI · OPTIMO

Disputaturo mihi de repetitione versuum in fabulis Euripideis primum dicendum est de sententia mihi quidem non probata multorum virorum doctorum, qui versum vel in eodem dramate vel in alio recurrentem ita defendunt, ut Euripidem de se ipso hunc vel illum versum deprompsisse affirment, nimirum quia novum effingere non potuisset, vel quia operam non dedisset, ut aliis verbis sententiam ornaret, quum eandem vel similem adhibere liberet. Maxima doctrina Firnhaberus [1]) demonstrare studuit, Euripidem saepius eosdem versus adhibuisse sic usum in conficiendis novis fabulis prioribus, ut ex altera fabula in alteram versus transcriberet. Ut hoc dilucide perspiceretur, conspectum dedit eorum versuum qui ex Medea deprompti alibi recurrerent, quoniam huius fabulae, quippe quae fuisset primaria, plurimi versus repeterentur necesse esset.

Mihi vero vir egregius de sententia sua non persuasit, nam nonnulli versus quos attulit sunt manifeste subditi, plerique similitudinem lenem tantum continent, ita ut dubitari non possit, quin Euripides ultro in eadem verba inciderit, in quorum numero certe habendi sunt versus:

Med. 37 [2]) et Med. 319 (317)
„ 254 et Orest. 1076
„ 337 (335) et Helen. 453

1) Die Verdächtigungen euripideischer Verse beleuchtet und in den Phönissen und der Medea zurückgewiesen. Leipz. 1840.

2) in numeris sequor Kirchhoffium; quos uncinis inclusos apposui sunt editionis Nauckii Lips. 1860.

Med. 417 et Ion. 1098 (1096).
„ 447 (450) et 455 (458).
„ 754 (759) et Rhes. 216.
„ 791 (796) et Hecub. 775 (792).
„ 798 (803) et Hecub. 1024 (1046).
„ 797 et Troad. 860 (867).
„ 988 (1003) et Suppl. 394.

Minime illud huc pertinet quod Med. 253 (252) legimus

ἀλλ' οὐ γὰρ αὑτὸς πρὸς σὲ κἄμ' ἥκει λόγος·

et Helen. 559 (558)

σὺ δ' εἶ τίς; αὑτὸς γάρ σε κἄμ' ἔχει λόγος·

quae dicta plane diversum sensum continent, repetitionem eorundem verborum lenem et certe fortuitam. Dein affert Firnhaberus ut ex Med. 294 (293)

οὐ νῦν με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις, Κρέον,
ἔβλαψε δόξα μεγάλα τ' εἴργασται κακά.

deprompta verba Med. 443 (446)

οὐ νῦν κατεῖδον πρῶτον ἀλλὰ πολλάκις
τραχεῖαν ὀργὴν

et Helen. 956 (957)

ἐγὼ μὲν οὐ νῦν πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις
ἄθλιος ἂν εἴην,

Vae miserum poetam, si, quum haec scribere vellet primum Medeae versum 294 inspiceret necesse fuisset. Eadem fere conjunctio verborum etiam alibi invenitur cf. Soph. Oed. R. 1275 et Philoct. 954.

Errore orta est viri doctissimi sententia de versu Med. 300 (298)

σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ

quem etiam in Andromeda locum habuisse putat Matthiaeum secutus vol. IX. p. 51. Sed aliter res se habet; versus est noster 300 Medeae nec alius fabulae. cf. Nauck. fragm. 144.

Omnino idem efficit similitudo versus Medeae 329 (327)

φιλῶ γὰρ οὐ σὲ μᾶλλον ἢ δόμους ἐκούς.

cum Erechthei fragm. XXI Matth.

φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ,

nam hoc fragmentum, quippe quod Euripidis non esset, recepit Nauckius inter adespota fragmenta, ubi exstat 339. Unum solum exemplum, quod alicuius momenti esse quis putare possit, est versus Med. 909 (922)

αὕτη, τί χλωροῖς δακρύοις τέγγεις κόρας;

et Helen. 1189

χλωροῖς τε τέγγεις δάκρυσι σὴν παρηίδα
κλαίουσα;

quorum similitudinem verbum χλωροῖς tantum efficit, nam elocutio τέγγειν δάκρυσι nil alieni habet, quippe quae Graecis non minus usitata fuerit quam nobis. cf. Helen. 457, Electr. 500. Suppl. 21.

Sed utcunque est, illud apud omnes constat, saepius apud Euripidem eadem vel similia dicta repeti, quorum in numerum etiam illud exemplum recipi potest. Non autem Firnhaberus demonstravit, Euripidem versibus Medeae in posterioribus fabulis conficiendis sic usum esse, ut vel eadem forma vel leviter mutatos eos iterum adhiberet. Contra hoc potius statuendum esse puto, repetitionem et similitudinem versuum, de quibus suspicio aliis causis non oritur, fortuitam esse, nisi contrarium, poetam consulto eundem versum repetisse, plane perspicitur, quae sententia et per se verisimilior et tanto poeta dignior tum quoque confirmabitur, quum sententias tanta dicendi ubertate a poeta variatas inspexeris. Nam si Euripides ex eis quae iam scripsisset, versus deprompsisset, quia novis verbis eandem sententiam ornare non posset, facillime deprehenderetur, si saepius eandem sententiam iisdem verbis expressam inveniremus. At uberrime illas legimus variatas, quod perspicitur optime in sententia illa clarissima: „Nemo nec semper nec ante mortem beatus est", quam legimus:

Hecub. 280 (282) et 937 (956). Orest. 332 (340). Androm. 100 et 832 (851). Suppl. 272 (270) et 550. Iph. Aul. 159 (161).

Heraclid. 608 et 863. Troad. 511 et 1192 (1203). Helen. 710. Hercul. fur. 101, 509, 1301 (1314) Electr. 951.

fragm. 46, 149, 196, 275, 540, 662, 872, 1058, 1059, 1060 Nauck.

Protulit illam sententiam Firnhaberus quia minus recte de scholiastarum testimoniis interpolationes actorum indicantibus iudicavit. Ea omnia ut inania inepteque efficta reiecit, iis exceptis quae de mutationibus singulorum verborum narrant. Contra Kornius [1]) qui accurate de quaestionibus huc pertinentibus disseruit, convicisse mihi videtur: „Exemplari illi publico magnam auctoritatem nec ab Alexandrinis grammaticis tributam nec a nobis tribuendam esse, quippe quod neque omnes Aeschyli Sophoclis Euripidis fabulas complexum sit, neque eum praebuerit textum, qui ad poetarum autographa quam proxime accederet, sed qualis decursu temporis in usu scenae ab histrionibus conformatus esset; interpolationes autem actorum, quae in scholiis tradantur, eo tempore natas esse videri, quod fuisset inter compositionem exempli publici, idque Alexandriam translatum". — Hisce fundamentis quasi disputationis iactis, inspicias velim versum Med. 40.

ἐγᾦδα τήνδε, δειμαίνω τέ νιν,
μὴ θηκτὸν ὤσῃ φάσγανον δι' ἥπατος,
σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος,

conferasque cum versibus 381. 82 (379. 80)

πότερον ὑφάψω δῶμα νυμφικὸν πυρί,
ἢ θηκτὸν ὤσω φάσγανον δι' ἥπατος,
σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος.

quorum versuum eum qui legitur v. 41 et 382

σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος

etiam post 358 (356) locum habuisse scholiasta (Dindorf. IV. p. 31. 9) affirmat his verbis: *Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ „σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος" καὶ μέμφεται*

---

1) De publico Aeschyli Sophoclis Euripidis fabularum exemplari Lycurgo auctore confecto. Bonnae 1863.

τοῖς ὑποκριταῖς ὡς ἀκαίρως αὐτὸν τάσσουσιν, quae verba intelligi possunt ita ut significent, Didymum hoc loco versum aptum et germanum duxisse, alibi vero subditum, aut, etiam hoc loco versum in nonnullis libris inventum, sed quod non germanus hic haberetur, ideo a Didymo notatum esse; hoc mihi quidem probabilius videtur propter scholium ad versum 381 (Dind. IV. p. 32. 4) scriptum: ἢ θηκτόν· ὧδε καλῶς κεῖται. Δίδυμος σημειοῦται, ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν ἐπὶ τῶν β (δυοῖν) τὸ „σιγῇ δόμους εἰσβᾶσα", καύσω καὶ σφάξω αὐτούς. Quibus verbis, quamquam mihi quoque corrupta videntur, id tamen efficitur, Didymum h. l. versum non subditum habuisse, qua re concluditur, scholium quod supra commemoravimus, eo sensu intelligendum esse, ut significet, Didymum in exemplis nonnullis versum istum sed ut subditicium legi adnotasse. Quo accuratius autem mecum scholium ad versum 381 perpendo, eo magis eo adducor ut Kornii emendationem (l. l. p. 23), accipiam: ὧδε καλῶς κεῖται ἐπὶ τοῖν δυοῖν τὸ σιγῇ δόμους εἰσβᾶσα καύσω ἢ σφάξω αὐτούς. τὸ χ ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσι [1]). Sic omnia optime se habent, nam utroque loco testimonium gravissimum de versu illo habemus, altero germanum altero subditum eum esse.

Quae cum ita sint, suspicio oritur de versibus 40. 41, quorum v. 41 reiicitur a Musgravio et plerisque editoribus; retinent vero v. 41 et 382 delent Piersonus, Boeckhius (Tragoed. graec. princip. p. 15), Matthiaeus, Schoenius.

Versus 381. 82 Valckenaerius subditos esse putat, pro 381 alium excidisse a verbo ἢ incipientem affirmans. Versus 40. 41 eiiciuntur a Kirchhoffio et Nauckio, qui ad eos addit etiam ambos versus subsequentes. Id constare mihi videtur, v. 381 verba optime se habere, quod demonstravit Firnhaberus, praesertim quum Didymi auctoritate illo loco ponantur ut germana. Contra versus 40. 41 certe subditicii sunt. Id iam mi-

---

1) cf. Schrader De notatione critica a veteribus grammaticis in poetis scaenicis adhibita. Bonnae 1863. pag. 44 sqq.

randum est, quod viri doctissimi diversissimas sententias, quae persona his verbis significaretur, protulerunt, alii de Medea sese ipsa interfectura intelligentes, alii de liberis trucidandis, alii de Glauca. Si verba per se contemplaverimus, eo adducemur, ut de Medea sese interfectura dicta accipiamus, quam sententiam praecipue defendit Matthiaeus. Sic autem intelligenda non sunt, nam hoc a consilio orationis nutricis alienum est; veretur nutrix, ne Medea odio affecta in alios saeviat, quos sibi adversarios habeat, Creontem, Iasonem, Glaucam.

Errant ei quoque, qui verba de liberis interficiendis intelligunt ut Witzschelius [1]) et Fuldnerus [2]) qui verba de liberis interficiendis dicta esse putat praecipue ea de causa, quod postea ferro occidantur ut in prologo praedictum sit, non autem de sponsa, quia haec veneno interimatur. Sed ne Iason quidem perit, quamquam etiam de eius morte nutrix veretur. Ut autem sententia stet, versum 41 post 42 ponere cogitur Fuldnerus Elmsleium secutus, quum illum amittere nolit. Si Euripides voluisset ut liberi intelligerentur, certe *δι' ἡπάτων* scripsisset vel dilucidius id quod vellet dixisset, quoniam inter tres personas ambigitur, ad quas ea verba referenda sint.

Multo minus verisimile est, verba de Glauca interficienda intelligenda esse. Illud nemini in mentem venire potuit, his verbis personam significari cuius viginti versibus ante mentio facta est, praesertim quum interim de aliis dictum sit. Neque magis si versum 41 cum Schoenio retinemus difficultas tollitur, sed augetur potius, nam verba *σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος* Iasonem et Glaucam, potius significari efficiunt quam Glaucam solam, quum Medea novam nuptam prima nocte non sine marito in lecto repertura esset, quamobrem haec verba ut infra de ambobus interficiendis intelligenda essent, quod fieri non potest, quia versu insequente Iason iterum me-

---

1) „De versibus male in Medea repetitis“ in Actis Societatis Graecae II p. 143—161.

2) Annotationes in Euripidis Medeae prologum. Marburg 1855 p. 20.

moratur. Eadem difficultas opinioni Fuldneri quam supra commemoravimus obstat. Itaque verba quum parum perspicua sint eaque significatione, qua quisque ea qui legit intelligit, intelligi nequeant, praeterea infra eisdem fere verbis repetantur, quo loco antiquo testimonio germana declarantur, optimo iure h. l. reiicienda et histrionibus ascribenda mihi videntur. Plura de h. l. habet Nauckius (Euripideische Studien I p. 108) quem ipse inspicias quaeso, ut videas meae argumentationes quantum ex illius manarint.

Versibus sublatis sequentia ut apte cum antecedentibus cohaereant, Nauckii coniectura *μὴ καὶ τύραννοι* pro *ἢ καὶ κτλ.* scribentis efficitur, quamquam ego quoque Nauckium sequi malo, etiam duos insequentes versus

ἢ καὶ τύραννον τόν τε γήμαντα κτάνῃ
κἄπειτα μείζω σομφορὰν λάβῃ τινά.

eiicientem, de qua re amplius dicere a proposito nostro alienum est.

Med. vers. 306 (304)

σοφὴ γὰρ οὖσα, τοῖς μὲν εἰμ' ἐπίφθονος
τοῖς δ' ἡσυχαία, τοῖς δὲ θατέρου τρόπου
τοῖς δ' αὖ προσάντης·

simillime repetitur 803 (808)

μηδείς με φαύλην κἀσθενῆ νομιζέτω
μηδ' ἡσυχαίαν, ἀλλὰ θατέρου τρόπου,
βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ.

Subditum esse versum illum priore loco Piersonum (Verisimil. pag. 59) secuti omnes fere editores putant. Dixerat Medea de damno quod nimia sapientia hominibus ferret, quamobrem pueros ad nimiam sapientiam informandos esse negat, quia civibus stultis sapienter nova inventa proferentes inutiles, non sapientes videantur; si praestantiores vero iis qui aliquid callidum sapere sibi videantur, existimentur, molesti in urbe appareant. Haec de se intelligit verbis v. 304

ἐγὼ δὲ καὐτὴ τῆσδε κοινωνῶ τύχης.

quamobrem quae sequuntur antecedentibus respondere debent

et respondent quidem versu illo sublato, retento vero oratio concinna misere turbatur. Duae partes opponuntur, quibus sapiens displiceat, totidem numerantur a Medea, a quibus ipsa odio afficiatur. Accedit alterum momentum. Verbum ἡσυχαία eam significationem non habet quam habeat opus est, ut orationi aptum sit. Nam mulierem si tranquilla vel quieta (ἡσυχαία) est, nemo vituberabit, laudabit potius. Medeae autem verbis apparet, eam civibus inimicam esse, id quod tranquillitate effectum esse non potest, nam feminae laudi erat si tranquilla domi se tenebat. cf. Heraclid. 476.

Itaque quum versus h. l. ad connexum orationis minime aptus sit vel potius ei repugnet, infra vero aptissimo loco iisdem fere verbis repetatur, histrioni vel librario alicui ascribendus est, qui huc eum retraxit non videns, inferiore loco alium inesse in verbis sensum; nam ibi Medea virtutem ἡσυχίας ab se removet contrariumque confirmat, se vehementibus animi concitationibus commoveri. Hirzelius [1]) non solum versum 306 sed etiam insequentem subditicios habet, quia nimiae et modicae sapientiae distinctio ab toto hoc loco alienissima sit neque recte se habeat sententia, Medeam quae de sapientia disputarit, in se singillatim conferre. Attamen hoc facere Medeam luce clarius apparet verbis ἐγὼ δὲ καὐτὴ κτλ. Dein vituperat, quod inter verba ἐπίφθονος et προσάντης quae inter se opponantur, vix discrimen aliquod intercedat. Recte, sed magnum discrimen intercedere non oportet, dummodo tantum intersit, quantum inter ἀχρεῖος κοὐ σοφός et λυπρὸς ἐν πόλει, quae non multum distant inter se. Ut autem Hirzelius verba illa versu utroque sublato intelligit, ita enim, ut τοῖς μὲν Iasonem et Glaucam significari putet, vix ea intelligi possunt, quoniam de his ambobus nondum dictum est, quamobrem etiam hic factiones illae civium, quae supra voculis μὲν et δὲ inter se opponuntur, intelligenda

---

1) De Euripidis in componendis diverbiis arte. Bonnae 1862. pag. 43.

sunt. Ut in hac re, sic saepius Hirzelii rationi adstipulari non possum neque mihi de summa disputationis eius persuasum est, quum, quamquam nonnunquam artem illam Euripidis in componendis diverbiis apparere concedo, tamen tam longe patere eam tantumque pondus habere, quantum Hirzelius ei tribuit, non credam.

Med. vers. 465 (468)

ὦ παγκάκιστε, τοῦτο γάρ σ' εἰπεῖν ἔχω
γλώσσῃ μέγιστον εἰς ἀνανδρίαν κακόν,
ἦλθες πρὸς ἡμᾶς, ἦλθες ἔχθιστος γεγὼς
θεοῖς τε κἀμοὶ παντί τ' ἀνθρώπων γένει;

repetitur iisdem verbis 1313 (1324)

ὦ μῖσος, ὦ μέγιστον ἐχθίστη γύναι
θεοῖς τε κἀμοὶ παντί τ' ἀνθρώπων γένει,

Omnes editores priore loco versum subditicium habent, ex quibus frustra desudat Hartungus argumentationibus demonstrando versum priore loco tolerari non posse. Id Firnhaberus l. l. p. 151 convicisse mihi videtur, eum utrobique optime legi posse neque ullam esse causam grammaticam vel aestheticam, ut his verbis utar, cur altero loco eiiciendus esset.

Attamen alter versus subditus videtur, quia causam, cur Euripides eadem verba iterum posuerit, non videmus, quamobrem quum saepius in Medea eosdem versus repetitos inveniamus, de plerisque vero demonstrari possit, eos esse subditos, praeterea quum testimonia antiqua scholiastarum de mutationibus et interpolationibus actorum habeamus (cf. Korn. l. l. pag. 18) verisimile videtur, hunc quoque versum altero loco non esse germanum. Aptius posteriore loco legitur ideoque recte ab editoribus priore eiectus est.

Versus Med. 777 (782)

παῖδας δὲ μεῖναι τοὺς ἐμοὺς αἰτήσομαι,
οὐχ ὡς λιποῦσα πολεμίας ἐπὶ χθονὸς
ἐχθροῖσι παῖδας τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι,
ἀλλ' ὡς κτλ.

simillime legitur infra 1049 (1061)

οὔτοι ποτ' ἔσται τοῦθ' ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ
παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι.

Priore loco versus supervacaneus est et moleste fertur propter repetitionem verborum *παῖδας τοὺς ἐμοὺς* et aoristum *καθοβρίσαι*, quod recte animadvertit Schoenius. Itaque Brunckio subditus visus est et secuti sunt Lentingius, Hartungus, Nauckius, Kirchhoffius. Contra retinent alii: Matthiaeus, Schoenius, qui pro *παῖδας* coniicit *παραδῶ* ut difficultatibus ab se notatis medeatur. Sed vereor ne altera remaneat, nam verba *τοὺς ἐμούς* mea sententia molestius feruntur, quam voce *παῖδας* adiecta. Omnia optime procedent, si versum eiecerimus et Burgesii coniecturam lenem et probabilem *οὐχ' ὡς λίπω σφε* acceperimus de qua cf. Nauck. Eur. Stud. I. p. 126.

Duobus versibus infra alius locus suspectus nobis occurrit. Legimus enim v. 781.

πέμψω γὰρ αὐτοὺς δῶρ' ἔχοντας ἐν χεροῖν,
νύμφῃ φέροντας, τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα,
λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον·

iisdem verbis iteratum 936

πέμψω γὰρ αὐτῇ δῶρ' ἃ καλλιστεύεται
τῶν νῦν ἐν ἀνθρώποισιν, οἶδ' ἐγώ, πολύ,
λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον.

Magnus est inter V. D. dissensus de his locis. Valckenaerius primum v. 780 subditicium habuit, propter inauditam ellipsim *φέροντας μὴ φεύγειν*. Dein Elmsleius v. 781 delevit ut e 936 retractum assentientibus Pflugkio et Schoenio retento vero v. 780. Uterque 780. 81 a Nauckio et Kirchhoffio eiectus est, contra 936 reiecerunt Bothius et Witzschelius. Versum 780 sine dubio reiicio Valckenaerium secutus cuius argumenta minime Firnhaberus refellisse mihi videtur; et quum versum in eadem fabula tolerari posse negem, nisi causa repetitionis plane perspiciatur, etiam v. 781 subditum habeo, quia minus apta Medeae de Glauca interficienda secum reputanti accurata illa enarratio donorum est. Si quis versum in eadem

fabula iteratum defendere studet, magis ridiculum argumentum afferre nequit, quam si dicit, versum illum ab auditoribus ut repetitum deprehendi non potuisse. Ac si Euripides versum iterasset, quia speraret fore ut ab spectatoribus tale peccatum non animadverteretur. Qui autem hoc argumentum proferunt, illi ipsi tales deprehenduntur qui versum male repetitum habeant, nam altero loco tamdiu modo tolerari posse versum confitentur, quamdiu altero positum esse animadversum non sit. Contra id mihi statuendum videtur, poetam si versum revera in eadem fabula iteravit, eo consilio id fecisse, ut repetitio eiusque causa ab omnibus animadverteretur et intelligeretur nec modo ab iis, qui fabulam agi visuri essent sed etiam a nobis qui essemus lecturi eam. Etiamsi concedimus, versum repetitum omnes auditores effugisse, non tamen effugit lectores. Fabulae enim non modo agebantur, sed actae libris scriptae vulgabantur diligenterque legebantur; quod nisi tenuerimus, comoediam Graecam a populo esse animo comprehensam, nunquam credere poterimus, quippe quae ingentem numerum versuum ex tragoediis depromptorum contineret. Sed de hac re amplius disserere supersedemus; nam nemo est, cui nota non sit.

Med. v. 911 (924)

αὕτη, τί χλωροῖς δακρύοις τέγγεις κόρας
στρέψασα λευκὴν ἔμπαλιν παρηίδα
κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον;

iteratur paulo infra 993 (1007)

τί συγχυθεῖσ' ἕστηκας ἡνίκ' εὐτυχεῖς;
τί σὴν ἔστρεψας ἔμπαλιν παρηίδα,
κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον;

praeterea versibus 910 et 993 simillimus exstat v. 1137 (1148)

ἔπειτα μέντοι προυκαλύψατ' ὄμματα
λευκήν τ' ἀπέστρεψ' ἔμπαλιν παρηίδα.

Verss. 992. 93 primus delevit Valckenaerius apud Piersonum (Verisim. p. 59) quem plerique editores secuti sunt. Hartungus et Nauckius etiam v. 910 subditum habent et confictum e 1137. Aliam rationem iniit Schoenius, qui versum 911 delet quia

Medea ad haec verba non respondeat, contra altero loco 992 ut confictum e v. 910. Praeter Firnhaberum etiam Osannus (Analecta critica pag. 88) repetitionem tuitus est, qui versus iteratos duplice recensione Medeae ortos esse affirmat, ita ut librarius vel grammaticus sedulus illos versus utroque loco exhiberet utraqae recensione collata. Credant alii.

Haud parvi momenti est, quod versu 992 vocem ἔστρεψας quae a metro abhorret, optimi codices exhibent vel correctam habent. Sic librarius interpolans deprehenditur; is enim versum illum finxit vitium metri omittens, quamobrem etiam insequentem versum ab hoc falsario additum habeo vel potius huc retractum e v. 911. Qui cum Nauckio et Hartungo etiam v. 910 delere volunt, iis obstare equidem nolo. Praeter repetitionem autem aliud argumentum afferri non potest, nam quod Hartungus negat, Iasonem videre potuisse, utrum Medea fleret necne, quippe quae aversa esset, nihili habendum est, quoniam si quis flet partim oculis cernitur partim auribus auditur.

Denique disputandum est de versibus 1050. 51 (1062. 63)

οὔτοι ποτ' ἔσται τοῦθ' ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ
παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι
πάντως σφ' ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή,
ἡμεῖς κτενοῦμεν οἵπερ ἐξεφύσαμεν.

qui repetuntur 1229. 30 (1240. 41). Versus 1229. 30 male insertos habet Valckenaerius assentientibus Brunckio, Lentingo, Beckio, Porsono, Elmsleio, Matthiaeo, Fixio, Bothio, Schoenio; contra Piersonum 1050. 51 subditicios habentem secuti sunt Musgravius, Pflugkius, Hartungus, Witzschelius, Nauckius, Kirchhoffius. Praeter argumenta Witzschelii, ineptos esse priore loco versus illos quum ibi tum deliberet Medea, nondum decreverit, utrum liberi interficiendi essent necne neque liberis praesentibus tam clare et perspicue de morte eorum loqui possit, quippe quae antea semper obscure et tecte de caede liberorum dixerit, aliud accedit argumentum idque gravissimum. Verbis illis Medea dilucide declarat, se liberos suos ipsam esse interfecturam. Qui fit quaeso, ut chorus hoc consilium ne verbo

quidem attingat nec Medeam ab hoc proposito prohibere conetur? quod tamen facit supra versu 808. 811. 814 et praecipue 840, ubi Medea tale quid dixerat v. 787 et infra 1240. Iure igitur miramur, ad haec chorum nil respondere ideoque verisimile non est, illa verba v. 1050 locum habuisse, quia Medea consulto de proposito suo obscure et tecte loquitur, chorum autem perspicientem non videmus, verum potius plane ignorantem consilium Medeae quod ignorare non potuit, simulatque illa verba auribus concepit.

Alia fabula de cuius interpolatione acriter a viris doctis disputatum est sunt Phoenissae. Et primum Valckenaerius multos versus subditicios detexit, dein alii secuti sunt. Nostrum est, de iis modo versibus quaestionem instituere, qui alibi iterantur. Itaque quum a certioribus ad minus probabilia transgredi in animo sit, primum inspicere velis quaeso versum 1289 (1282), ubi Iocaste his verbis filiam compellat:

ἔπειγ' ἔπειγε, θύγατερ· ὡς ἢν μὲν φθάσω
παῖδας πρὸ λόγχης, οὑμὸς ἐν φάει βίος.
ἢν δ' ὑστερήσῃς, οἰχόμεσθα, κατθανεῖ,
θανοῦσι δ' αὐτοῖς συνθανοῦσα κείσομαι.

Eadem verba iam supra v. 979 (976) Creon dixerat filio Menoeceo

κἂν μὲν φθάσωμεν, ἔστι σοι σωτηρία·
ἢν δ' ὑστερήσῃς, οἰχόμεσθα, κατθανεῖ.

loco prorsus apto, nam Creon filium e terra fugere iubet additque: Si ab Eteocle de oraculo certiore facto deprehensus eris, interficieris. Alia autem est conditio inferioris loci, quo versus plane necessarius non est, molestus potius absque sensu orationis alienissimus. Itaque post Grotium et Valckenaerium editores eum omiserunt; defendunt soli Klotzius et Firnhaberus. Ne dicam de argumento, quod Valckenaerius attulit, matrem vix filiae mortem minari potuisse, id tamen momenti alicuius est, quod inter personas moleste alternatur. Si versus ille retineretur certe desideraretur *α ὐ τ ή συνθανοῦσα κείσομαι*, dein mirum est, quod legimus *ὑστερήσῃς* cuius loco quisque exspectat *ὑστερήσωμεν.* Sed haec hactenus. Melius et accuratius dis-

putat Geelius de hoc versu in commentario ad Phoenissas pag. 195 quem ipse inspicias velim. Non est porro nullius momenti, quod in codice Parisin. 1713 scholium exstat ad h. v. hoc: ἐν πολλοῖς οὐ φέρεται, quibus verbis apparet in nonnullis libris librarium versum illum non invenisse. Quaeritur, utrum libris illis et ei, qui eos adhibuerit, fides attribuenda sit necne. Mihi cum Kirchhoffio persuasum est, has annotationes optimis libris comparatis ortas esse, nam plerosque versus, ad quos adscriptae sunt, convinci potest, esse subditicios ut Phoen. 1232 (1225) et 1082 (1075) Alcest. 832 (819) Androm. 1226 (1254) Orest. 949. 50. 51 et 1386. Forsitan aliquis dixerit: At sunt nonnulla scholia, quae versum subditum esse vel in nonnullis libris non exstare affirmant, qui nullo modo deesse potest. Refelluntur hi Kornii explicatione l. l. pag. 20. Quod restat, facile intelligitur, nam scholio ad vers. Orest. 1230 (Dind. II. p. 283. 21.) ἐν τῷ ἀντιγράφῳ φέρονται οὗτοι οἱ δ' ἴαμβοι, καὶ ἐν ἄλλῳ δέ id tantum apparet, versus illos in duobus libris exstitisse, non autem in tertio; sed quam facile etiam in optimo quoque libro hic vel ille versus lapsu librarii intercidere potest.

Scholium ad vers. 1067 (cf. Dind. II. p. 263. 8) nil efficit, quippe quod ex perversa Byzantinorum doctrina manarit. (cf. Dind. praef. ad schol. Eur. I. p. XV.) Nec plus valet illud Triclinii scholium ad v. Hecub. 1046 (1068) quo alterum ἀκέσαιο deletur, quod in codice quodam antiquo exstare affirmatur, (cf. Dind. I. p. 476. 20) nam quam facile fortuito una vox bis posita intercidere potuit.

Alia vero est conditio scholii ad vers. Hecub. 1079. (1100), quod exhibet Flor. XXV. 33 (cf. Dind. I. p. 483. 18) ἔν τισι τὸ αἰθέρα περισσὸν καὶ οὐ φέρεται. Verba scholiastae aliquid ponderis habent, nam dicit ἔν τισιν; deerat igitur illa vox in pluribus libris, et quum a metro abhorreat recte eam omiserunt Hermannus, Kirchhoffius, Nauckius (Eur. Stud. I. p. 21).

Phoen. vers. 97 paedagogus Antigonae castra hostium demonstrans dicit:

πάντα δ' ἐξειδὼς φράσω
ἅ τ' εἶδον εἰσήκουσά τ' Ἀργείων πάρα,
σπονδὰς ὅτ' ἦλθον σῷ κασιγνήτῳ φέρων

idem versus iteratur infra 142, quo Antigonae quaerenti:

σὺ δ', ὦ γέρον, πῶς αἰσθάνει σαφῶς τάδε;

respondet paedagogus:

σημεῖ' ἰδὼν τότ' ἀσπίδων ἐγνώρισα,
σπονδὰς ὅτ' ἦλθον σῷ κασιγνήτῳ φέρων.

Versum 142 a prioribus editoribus retentum, quippe qui a Valckenaerio defensus esset, recentiores tamen Hartungus, Geelius Nauckius (Eur. Stud. I. p. 69) Kirchhoffius eiecerunt. Tuitus est Valckenaerius versum his verbis: „Credidit forsan a senis persona non alienum Euripides, eadem repetere: quin priori loco posita minus intellexisse censeri potest Antigone, tum paululum a custode remota: tandem si senarius hinc eiiceretur, ingratus nec sanequam Euripideus inter ἐγνώρισα et Ἅ relinqueretur hiatus: ne dicam obfuturam tum voculam τότε in versu 144 (141 Kirchh.) nam huic incommodo facile unius literae ductu succurri"; putat V. D. scribi posse τάδ', quum cod. b. Kirchh. habeat τόδ', quam coniecturam recepit Hartungus.

Ut ubique, sic etiam h. l. tenendum est, versum si ab Euripide repetitus esset, certo esset consilio nobisque plane perspicuo. Sed illius consilii vestigium non exstat, nam quod dici potest, versum iterari, ut loquacitas senis appareat, nihili est, quia omnia a paedagogo brevibus absolvuntur et absolvantur necesse est, ne haec pars fabulae nimis longe extendatur. Verba autem paedagogi ab Antigona non intellecta esse, nullo verbo indicatur, quod infra demonstrabimus. Iam quod Valckenaerius affirmat de molesto hiatu vers. 142 sublato oriente (cf. annot. ad vers. Phoen. 891 et Hippol. 682.) mirum est, quoniam tales hiatus sexcenti in fabulis Euripideis inveniuntur.

Denique voculam τότε sequente ὅτε desiderari affirmans refutatur a Musgravio ad Iph. Aul. v. 46 qui exempla affert Iph. Aul. 46. Helena 1080. Orest. 99. Soph. Aias 650. Aristoph. Thesmoph. 13. Plura videas apud Ellendtum (Lexicon Sophocl.

sub τότε vol. II. p. 850.) Causa, cur interpolatus et defensus sit ille versus, in eo sita est, quod verba Antigonae nondum recte interpretati sunt. Non quaerit enim: „Quomodo occasionem invenisti, ut omnia comperires", sed: „Qui fieri potest, ut tam accurate singula enarrare possis?" Miratur igitur, quod paedagogus alios ab aliis discernat singulosque nominet, quippe qui tam longe remoti sint, ut ipsa ex oribus eos non cognoscat; quamobrem cum Valckenaerio suspicandum non est, Antigonam priore loco verba paedagogi non comprehendisse. Quae si recte disputata sunt, facile versus ille subditicius deprehenditur, nam causam repetitionis non videmus, contra interpolationis, qua re perspecta a vero haud multum aberimus, si versum illum moleste repetitum habebimus subditum.

Versum Phoen. 779

σοὶ μὲν τάδ' εἶπον· προσπόλοις δ' ἐμοῖς λέγω·

Kirchhoffius subditum habet et confictum e 569

σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ. σοὶ δὲ Πολύνεικες λέγω·

Versus ille mihi nec subditus nec orationi parum aptus videtur nam insequens compellatio famulorum optime eis verbis praeparatur. Quod iisdem fere verbis versus iteratur, eo efficitur, quod dictum tam saepe et frequenter ab hominibus in sermone adhibitum aliis verbis exprimendum esse Euripidi non videbatur. Itaque etiam alibi eadem verba occurrunt, ut Helena 1663 et Supplic. 1221 (1213). Repetitio horum verborum eximenda est, nam patet, in enunciationibus tam levibus consilium poetae cognosci non posse, si in eadem fabula iteratas invenimus.

Versum Phoen. 915 (912)

ἄκουε δή νυν θεσφάτων ἐμῶν ὁδόν,
ἃ δρῶντες ἂν μάλιστα σώσαιμεν πόλιν.

Nauckius et Kirchhoffius omittunt ut male insertum et retractum e v. 867 (864)

ἐμοὶ δ' ἐπέσταλκ' ἐκμαθεῖν σέθεν πάρα,
τί δρῶντες ἂν μάλιστα σώσαιμεν πόλιν.

Interpretatoris additamentum esse versum 915 demonstrat dis-

crepantia lectionum et versus hypermetrus, nam optimus codex Marcianus (A. Kirchh.) habet:

ἃ δρῶντες ἂν μάλιστα σώσαιμεν πόλιν καδμείων

ceteri contra

ἃ δρῶντες ἂν σώσαιτε καδμείων πόλιν.

Praeterea versum suspectum reddit stichomythiae ratio misere turbata, quae h. l. tam pulchre instituta et tam perspicua est, ut ea sola versum illum removeat; de qua re cf. Hirzelius l. l. p. 36.

Versu 1364 seq. Phoen. legimus:

ἐπεὶ δὲ χαλκέοις σῶμ' ἐκοσμήσανθ' ὅπλοις
οἱ τοῦ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι,
ἔστησαν ἐλθόντ' εἰς μέσον μεταίχμιον,
δισσὼ στρατηγὼ καὶ διπλὼ στρατηλάτα
ὡς εἰς ἀγῶνα μονομάχου τ' ἀλκὴν δορός.

ex quibus vers. 1365 iam supra exstat v. 1250 (1243)

ἤδη δ' ἔκρυπτον σῶμα παγχάλκοις ὅπλοις
δισσοὶ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι.

Valckenaerius versum 1365 subditicium sese habiturum affirmat, nisi 1367 adesset, qui ineptam tautologiam contineat, qua de causa hunc reiicere se malle quam antecedentem. Secuti sunt Brunckius, Porsonus, Fixius, Nauckius, qui etiam 1365 et omnino totum locum suspectum habet cf. Eur. Stud. I. p. 91.

Hermannus, Bothius, Pflugkius utrumque versum retinent, postquam Hermannus exemplis allatis demonstrare studuit, tautologiam illam tolerari posse. Kirchhoffius solus v. 1365 delet.

Firnhaberus, Hartungus, Geelius emendationibus versui illi mederi student. Firnhaberus pro διπλὼ στρατηλάτα scribi iubet διπλοῖ στρατηλάται ceteros duces Thebanorum et Argivorum significari putans, ita ut vertendum sit: In medio μεταιχμίῳ steterunt uterque imperator et utriusque exercitus principes, alteri ut pugnarent, alteri ut auxilium ferrent. Hanc interpretationem nemo accipiet, nam id est nimirum certaminis singularis proprium, ne quis pugnantibus auxilium ferat.

Aliam rationem iniit Geelius mutans καί in τώ quo facto ἔστησαν habet vim activam ut vertendum sit: Quum Oedipi

filii arma induissent, duo duces prodeuntes duos illos imperatores in medio μεταιχμίῳ constituerunt. Interpretatio haec per se placet, quamquam paulo artificiosior est, sed alia remanet difficultas, quod versus antecedens οἱ τοῦ γέροντος Οἰδίπου νεανίαι iam supra exstat, cuius repetitionis ne ulla quidem causa invenitur. Hartungus denique legendum proponit:

ἔστησαν ἐλθόντ' εἰς μέσον μεταίχμιον
δισσῶν στρατῶν τε καὶ διπλῶν στρατηλατῶν.

de qua coniectura idem monendum est quod de Geelii.

Ante omnia videndum est, num repetitio tolerari possit illius versus quem priore loco esse necessarium nemo non videt. Sin autem h. l. quid est, quo haereamus, certe est repetitio versus illius, quem a librario huc retractum esse potius putabimus, quam novum aliquem esse confictum. Itaque illum eiicias, si Hermanni exemplis, quae Geelius quidem inania esse affirmat, persuasum habueris, talem tautologiam qualis sit δισσὼ στρατηγὼ καὶ διπλὼ στρατηλάτα tolerari posse et hunc retineas. Sin autem Hermanno assentiri non potes, Valckenaerii emendatio δισσὼ ξυναίμω καὶ διπλὼ στρατηλάτα in promptu est, qua ut equidem puto melior medicina loco affertur quam si alterum versum moleste repetitum retinemus. Alia via aperitur a Trautmanno [1]) qui utrumque versum subditum habet et negat, fratrum nomina denuo commemorari necesse esse, quum e quaestione Creontis 1359 et e nuntii verbis 1364 satis appareat, de quibus sermo fiat. Sed cur Valckenaerii emendatio non accipitur?

Vers. 1381 (1376)

δὸς ἔγχος ἡμῖν καλλίνικον ἐκ χερὸς
εἰς στέρν' ἀδελφοῦ τῆσδ' ἀπ' ὠλένης βαλεῖν
κτανεῖν θ' ὃς ἦλθε πατρίδα πορθήσων ἐμήν.

legitur 757

---

1) De Euripidis Phoenissarnm versibus suspectis et interpolatis Halle 1863 p. 15.

καί μοι γένοιτ' ἀδελφὸν ἀντήρη λαβεῖν
καὶ ξυσταθέντα διὰ μαχῆς ἑλεῖν δορί,
κτανεῖν θ' ὅς ἦλθε πατρίδα πορθήσων ἐμήν.

Valckenaerius utroque loco versum illum suspectum habuit et re vera ambo subditi esse possunt, quippe qui prorsus necessarii non sint. Secuti sunt Dindorfius et Matthiae; contra utrumque retinent Porsonus, Firnhaberus, Klotzius [1]), Hermannus. V. 757 reiicitur a Brunckio, Bothio, Fixio, Hartungo, Nauckio, contra rectissime inferiore loco versum illum subditicium habent Kirchhoffius et Geelius, cuius argumenta, primum quod Eteocles deam imprecans veram inimicitiae causam dissimulare non potuerit, dein quod ea excusatio minus apta verbis Eteoclis fuerit, quippe qui a poeta iniustus fingeretur, denique quod Polynices in precibus nil dicat de vera fratris iniuria, satis superque sufficiunt.

Cui id quod de Medeae et Phoenissarum versibus repetitis et interpolatis disputavimus, persuasum non est, is velim secum perpendat, qui fiat, ut hae modo fabulae plerosque versus iteratos contineant, neque aliae? Nimirum ea de causa, quod maxime omnium agebantur, lectitabantur, in scholis tractabantur.

Versus Hecub. 706 (722)

ὦ τλῆμον, ὥς σε πολυπονωτάτην βροτῶν
δαίμων ἔθηκεν ὅστις ἐστί σοι βαρύς

legitur simillime 1066 (1087)

δράσαντι δ' αἰσχρὰ δεινὰ τἀπιτίμια
δαίμων ἔδωκεν ὅστις ἐστί σοι βαρύς.

Primus Hermannus versum 1066 male insertum esse iudicavit et persuasit Hartungo, Nauckio, Kirchhoffio. Breviter quidem, sed graviter Hermannus sententiam confirmavit, quare liceat mihi egregii viri verba hic apponere: ,,Est ille versus quidem Euripidis sed male hic repetitus ex versu 706 nisi quod ibi *ἔθηκεν* legitur. Mirum vero, non modo alios sed ne Porsonum quidem, qui *ἔθηκεν* e. v. 706 petitum esse adnotavit, totum

---

1) Iahn und Seebode Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik vol. XIX p. 250.

versum illic translatum animadvertisse. Atqui movere debebant verba ὅστις ἐστί σοι βαρύς quae hic perinepta sunt. Non enim malo cuidam genio, ut illic immerens Hecuba, sed uni sceleri mala sua debet Polymestor. Accedit quod, ut sequenti Polymestoris cantui duo trimetri a choro subiiciuntur, sic idem hic quoque fieri oportebat.“ His aliquid amplius addi nec debet nec potest.

Orest. v. 527 (534) Tyndareus orationem suam concludit his verbis:

ὡς οὖν ἂν εἴδῃς, Μενέλεως, τοῖσιν θεοῖς
μὴ πρᾶσσ' ἐναντί', ὠφελεῖν τοῦτον θέλων,
ἔα δ' ὑπ' ἀστῶν καταφονευθῆναι πέτροις,
ἢ μὴ 'πίβαινε Σπαρτιάτιδος χθονός.

ex quibus v. 529. 30 ab eodem Tyndareo dicti paulo infra 618. 19 (625. 26) repetuntur.

Facile apparet, posteriore loco versus illos plane necessarios esse propter antecedens illud δράσω quo negat Tyndareus se passurum ut Menelaus Spartam veniat imo potius vi eum repulsurum. Itaque priore loco versum reiecerunt Brunckius, Beckius, L. Dindorfius, Nauckius, Kirchhoffius. Ceteri editores utroque loco retinuerunt exceptis Hartungo et Hermanno, qui 530 tantum omisit, quia e 557 dilucide appareret, Tyndareum de Oreste lapidibus interficiendo dixisse. Hoc argumento commotus Nauckius (Eur. Stud. I. p. 42) postquam repetitionem tolerari posse negavit, coniecit, post 528 aliquid excidisse quo de Oreste lapidibus interimendo dictum esset, nostros versus vero olim illis appositos remansisse. Paulo artificiosior coniectura illa mihi videtur; est praeterea prorsus supervacanea. Versus utroque loco ab Euripide profectos esse equidem pro certo habeo, quia hic demum consilium poetae, cur versus repeterit, plane cognosci potest, nam eadem verba Tyndareum dicentem fecit Euripides quo planius animus pervicax et praefractus senis propositi tenacis appareret, quod non melius depingi potuit, quam quum eadem iisdem verbis repeterentur.

Hippol. v. 895 legitur

ἢ τῆσδε χώρας ἐκπεσὼν ἀλώμενος
ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσει βίον.

qui repetitur 1046 (1049)

ἀλλ' ἐκ πατρῴας φυγὰς ἀλητεύων χθονὸς
ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσεις βίον·
μισθὸς γὰρ οὗτός ἐστιν ἀνδρὶ δυσσεβεῖ.

Valckenaerius utroque loco versum germanum habet dicens: „Sic solet interdum Euripides in eodem etiam dramate eosdem leviter mutatos repetere senarios ut Alcest. 433 (419)

ὡς πᾶσιν ἡμῖν κατθανεῖν ὀφείλεται

et 794 (782)

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται

et Hercul. fur. 731 (733)

ἐχθρὸς τίνων τε τῶν δεδραμένων δίκην

et 748 (756)

τόλμα, διδοὺς γε τῶν δεδραμένων δίκην.

Quod attinet ad versum illum Alcestidis nil mirum inest, quod sententia tam usitata (cf. fragm. 733) iterum adhibetur in dramate, ubi aptissima est. Praeterea repetitio illa gravis non est; duo modo verba eodem loco repetuntur quo supra, cuius rei alia causa est, nam ea verba, quae quattuor syllabis duos iambos continent, fere semper in extremo senario ponuntur. Quod si tenueris de multis verbis vel in eadem fabula vel in diversis repetitis aliter iudicabis. Idem accidit in exemplis a Valckenaerio allatis, nam vox ὀφείλεται in extremo versu legitur cum κατθανεῖν coniuncta: Orest. 1245. Androm. 1244 (1272) fragm. 10. Eodem loco senarii δεδραμένα poni solet cf. Orest. 1310 (1318). Androm. 791 (808). 797 (814). Elect. 1106. Hercul. fur. 1002 (1012). 1147 (1160). Sic semper verbum ἀνάκτορα ab Euripide in extremo senario adhibetur cf. Androm. 43. 1084 (1111). 1135 (1157). Iph. Taur. 41. 66. 625 (636). Troad. 15. 85. Rhes. 505 (516). Suppl. 89. Ion. 55. 1226 (1224).

Quae si recte disputata sunt, nil miri habet similitudo versuum fragm. 663.

πολλοὺς δὲ πλούτῳ γαὶ γένει γαυρουμένους
γυνὴ κατήσχυν' ἐν δόμοισι νηπία

et fabular. incert. fragm. 1027.

ὅταν δ' ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ
λαμπρῷ τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον

vel Phoen. 86.

χρὴ δ', εἰ σοφὸς πέφυκας, οὐκ ἐᾶν βροτὸν
τὸν αὐτὸν ἀεὶ δυστυχῆ καθεστάναι.

et 892 fragm.

ὤφειλε δῆθεν, εἴπερ ἔστ' ἐν οὐρανῷ
Ζεύς, μὴ τὸν αὐτὸν δυστυχῆ καθεστάναι.

Quam longe ab his diversa est repetitio versus nostri 1046 Hippol. Itaque recte Bergkius, Nauckius, Kirchhoffius versum hunc et insequentem eiecerunt, nam antecedens vox *οὕτως* aperte declarat, additamentum illud parum aptum et ad *φυγὰς ἀλητεύων* supplendum esse *θανεῖ*. Plura videas apud Nauckium (Eur. Stud. II. p. 41) et Hirzelium l. l. p. 82.

Hippol. v. 1026. (1029)

ἦ τἄρ' ὀλοίμην ἀκλεὴς ἀνώνυμος,
ἄπολις, ἄοικος, φυγὰς ἀλητεύων χθόνα,

reiecit Valckenaerius, quia v. 1045 (1048) similiter legitur

ἀλλ' ἐκ πατρῴας φυγὰς ἀλητεύων χθονός

et in Christo Patiente, qui antecedentem et insequentem versum exhibet, noster deest, et in codicibus *χθόνα* pro *χθονός* legitur. Secuti sunt Monkius, Matthiaeus, Bothius, Fixius, Hartungus, Nauckius, Dindorfius.

Kirchhoffius vero eum defendit, vel potius argumenta illa Valckenaerii ex parte refutavit. Nam nullius momenti est, quod in Ch. Pat. non legitur versus, quia ibi certe non sine causa omissus est, dein valde leniter *χθόνα* in *χθονός* mutatur, qui error lapsu librarii ortus est. Atqui Nauckius (Eur. Stud. II. p. 39) acutissime demonstravit, repetitionem horum verborum tolerari non posse, quia verba Hippolyti a Theseo in suum usum versa ridicula et prorsus inepta vel parodiae similia viderentur.

In Alcestide praeter versum 433 de quo iam supra dictum est, alii exstant repetiti, sed male inserti. Sic prorsus ineptus est versus 323 (312)

καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν,
ὃν καὶ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν.

quem ut e 200 (195)

κοὔτις ἦν οὕτω κακὸς
ὃν οὐ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν.

huc retractum Piersono monente ceteri editores reiecerunt.

Klotzius [1]) cum Hermanno versum aptissimum habet. Sed versus non modo plane inutilis et ridiculus (cf. Hartung. ad h. l.), sed etiam constructioni minime aptus; nam quid sibi vult illud: „Puer quidem patrem habet magnum propugnaculum quem et compellavit et a quo invicem compellatus est“ nam sic verba vertenda sunt, ut supra, neque: quem et compellet et compelletur. Nolo abutatur quis observatione apud Matthiaeum Gramm. Graec. II. § 506. V. 1. p. 960, nam illa lege dicendi confirmatur potius mea sententia.

Versum Alcest. 1016 (1014)

ὡς δὴ θυραίου πήματος σπουδὴν ἔχων

Nauckius in suspicionem vocavit ut iteratum e 790 (778) ubi legitur

δέχει, θυραίου πήματος σπουδὴν ἔχων.

De hoc uno versu inter omnes in eadem fabula repetitos ambigitur, utrum eiiciendus sit necne, nam evidenter convinci non potest, eum esse subditum. Equidem vero illum reiicio, quum minime desideretur neque consilium, cur repetitus sit, perspiciatur.

Omnino absurde inseruntur Alcest. v. 662. 63. (651. 52)

κἀγώ τ' ἂν ἔζων χἥδε τὸ λοιπὸν χρόνον
κοὐκ ἂν μονωθεὶς ἔστενον κακοῖς ἐμοῖς

huc retracti e v. 306. 307. (295. 96)

κἀγὼ τ' ἂν ἔζων καὶ σὺ τὸν λοιπὸν χρόνον
κοὐκ ἂν μονωθεὶς σῆς δάμαρτος ἔστενες

---

1) Iahn und Seebode Neue Iahrbücher etc. XIX. p. 287. cf. Witzschelius Acta. Soc. Graec. II. pag. 144 sqq.

Rectissime Kirchhoffius et Nauckius v. 662. 63 delent, nam quid magis ridiculum est, quam quum quis dicit alteri: „Te pro me mori decet; equidem reliquum tempus feliciter vivam". Ineptius hoc quidem dici potest? Accedit quod Admetus acutissime omnes causas affert, cur patrem pro se mori deceat, quum sit senex et longa vita felici functus, quum magis eum deceat quam mulierem peregrinam mortem obire, quum gratias debeat filio qui semper parentes maxima pietate coluerit, quum ipso mortuo sine liberis futurus sit, nec alios procreare possit ob senectutem; dein patri exprobrat, quod mortem timuerit, quippe qui iam senex esset, brevique mortem obiturus. Talibus argutiis Admetus confirmare studet, cur patrem pro se mori decuerit; contra veram causam, cur patrem quam uxorem perisse malit, sedulo occultat. Itaque versus additi nihil aliud efficiunt, nisi frigidam et impudentem ironiam, quae sensui totius orationis parum apta est et quum e 306. 307 eos confictos esse dilucide appareat, optimo iure interpolatori imputandi et eiiciendi sunt.

Refellisse me eis quae dixi confido Wuestemanni argumentum, consulto repetisse Admetum haec verba, quippe quae inter ultima mandata ex coniugis ore excepisset.

Ineptissime leguntur Rhes. v. 37 verba *φυλακὰς δὲ λιπὼν κινεῖς στρατίαν* e superiore loco v. 18 certe huc retracta; nam Hector choro exprobrat quod confuse loquatur et interrogat eum:

ἀλλ' ἦ Κρονίου Πανὸς τρομερᾷ
μάστιγι φοβῇ;

Quid quaeso sibi vult insequens: *φυλακὰς δὲ λιπὼν κινεῖς στρατίαν;* quae verba h. l. plane absurde dicta sunt, nam Hector interrogare non potest: Perturbatisne exercitum excubiis relictis? quod iam interrogavit, neque nescit, sed ut verba recte se habeant quaerat necesse est ut supra: *τί κινεῖς στρατίαν;* Itaque recte Nauckius et Kirchhoffius versum eiecerunt.

Qui omnia quae in codicibus tradita sunt defendere student, eis re vera interpolationes fabularum Euripidearum a

librariis factas esse, persuaderi necesse est, simulatque inspexerint versum Ion. 774 manifeste ex 768 huc male rectractum, nam est a sensu et connexu orationis omnino alienus, quoniam chorus quam dicendam habebat calamitatem iam aperte dixit, ita ut Creusa eum eadem dicere non posset iubere, quae optime eam perspexisse ex consequentibus apparet. Nec iussit quum chorus iussui non obtemperet quod debuit, si Creusa id quod ille dixisset, non intellexisset. Versus Iph. Taur. 84

μανίας ἂν ἔλθοιμ' εἰς τέλος πόνων τ' ἐμῶν,
οὓς ἐξεμόχθουν περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα.

iisdem verbis iteratur v. 1423 (1454)

ἐνταῦθα τεύξας ναὸν ἵδρυσαι βρέτας,
ἐπώνυμον γῆς Ταυρικῆς πόνων τε σῶν,
οὓς ἐξεμόχθεις περιπολῶν καθ' Ἑλλάδα.

Non dubium est, quin inferiore loco necessarius sit ille versus, quoniam verbo *περιπολῶν* etymologia vocis *Ταυρόπολα* docetur. Itaque priore loco versum subditum esse pro certo habent omnes editores excepto uno Witzschelio qui versum tacite retinet. Versus certe supervacaneus est, nam nil continet quod iam dictum non sit et quum verisimile non sit, Euripidem eundem versum, quo postea deam etymologiam vocis *Ταυρόπολα* docentem facit, bis posuisse, eum eiiciamus.

Vers. Bacch. 706 (716)

ξυνήλθομεν δὲ βουκόλοι καὶ ποιμένες,
κοινῶν λόγων δώσοντες ἀλλήλοις ἔριν,
ὡς δεινὰ δρῶσι θαυμάτων τ' ἐπάξια,

a Brodaeo deletus est ut retractus e 657 (667) ubi pro *τ' ἐπάξια* legitur *τε κρείσσονα.* Illi assentitus est Kirchhoffius, contra retinent Bothius, Schoenius, Elmsleius, Hermannus, Nauckius. Versus certe supervacaneus est, ne dicam constructioni et sensui parum aptus, contra 657 optime se habet. Sensus verborum nuntii a vers. 705 sqq. est hic: Convenimus pastores et verbis inter nos disceptavimus (nimirum quid faciendum

esset, quod ex insequentibus verbis *καί τις πλάνης κατ' ἄστυ καὶ τρίβων λόγῳ ἔλεξεν* patet). Quid sibi vult illud *ὡς δεινὰ δρῶσι* de qua re pastores certe inter se non disceptaverunt. Itaque versum illum melius subditicium habebimus, nam quo consilio versus repetitus sit, nemo videt.

Heraclid. vers. 97. 98

μήτ' ἐκδοθῆναι μήτε πρὸς βίαν θεῶν
τῶν σῶν ἀποσπασθέντες εἰς Ἄργος μολεῖν

simillime leguntur v. 221. 22,

μήτ' ἐκδοθῆναι μήτε πρὸς βίαν θεῶν
τῶν σῶν ἀποσπασθέντες ἐκπεσεῖν χθονός.

Consulto ab Euripide hos versus iisdem verbis repetitos esse crederet aliquis et recte, nisi accederet ut exstaret responsio versuum 73—92 et 93—110 diligenter elaborata, nisi quod uni iambo 78 opponitur distichon, id vero suspectum nobis, quia infra iteratur. Quamobrem post v. 78 lacunam unius versus qui intercidisset indicarunt Fixius et Nauckius. Verisimilius mihi videtur quod Kirchhoffius coniicit, loco versuum 97. 98 unum modo iambum locum habuisse, fortasse hunc

μὴ θεῶν ἀποσπασθέντες εἰς Ἄργος μολεῖν,

nam si Euripides consilio quodam versus illos repetiit, cur conclusionem iambi alterius variavit, hic scribens *ἐκπεσεῖν χθονός*, illic *εἰς Ἄργος μολεῖν*?

Aliud est, si versum in eadem fabula, aliud, si in diversis repetitum invenimus, nam facillime poeta in eadem verba ultro incidere potuit, quum eandem sententiam adhibere libuit. Itaque repetitio sola versum repetitum summovere non valet, nisi alia eaque gravissima argumenta accedunt, quibus suspicio augeatur.

Ad versum Med. 688 (693)

τί χρῆμα δράσας; φράζε μοι σαφέστερον

scholiasta annotat (Dind. IV. p. 47. 14) *σεσημείωται ὁ στίχος, ὅτι καὶ ἐν Πελιάσιν ἐστὶν.* Non mirum, talem versum etiam in alia fabula inveniri, nam saepius Euripides talia dicta ponit praecipue in stichomythia eo tantum consilio, ne

haec turbetur, quod demonstravit Kvićala [1]) et Behrns [2]). Sunt in fabulis Euripideis permulta eiusmodi dicta repetita ut *οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον* Hecub. 223 (225). Helen. 314. 1233. Ion. 1035 (1029). Cyclops 129 (131). Fragm. 647. Omnino idem est si versum Med. 743 (748)

τί χρῆμα δράσειν ἢ τί μὴ δράσειν; λέγε.

quem Nauckius quidem eiicit, in Iph. Taur. legimus vers. 726 (737) nec non minus offendit illa exclamatio saepius iterata

Helen. 778

πῶς φῄς; τί λέξεις; ὥς μ' ἀπώλεσας, γύναι.

Med. 1299 (1310)

οἴμοι τί λέξεις; ὥς μ' ἀπώλεσας, γύναι.

Hippol. 354 (353)

οἴμοι, τί λέξεις, τέκνον; ὥς μ' ἀπώλεσας.

Talia verba saepius ab Euripide adhiberi necesse erat, ubi simile quid agebatur, quum alia, quibus idem significaret, vix haberet. Huc pertinere existimo, si versum Med. 543 (546)

τοσαῦτα μέντοι τῶν ἐμῶν πόνων πέρι
ἔλεξ'· ἅμιλλαν γὰρ σὺ προὔθηκας λόγων.

legimus, etiam Suppl. 429

ἄκου'· ἅμιλλαν γὰρ σὺ προὔθηκας λόγων.

Hartungus quidem versum Medeae delet ea de causa, quia ibi nihil supervacanei dictum sit, cur Iason sese excusaret, id tamen in Suppl. Hoc argumentum non sufficit, neque quisquam Hartungo obtemperavit. Plane necessarius versus non est, ideoque subditus esse potest sed suspicio interpolationis ne ullo quidem argumento gravi confirmatur, praesertim quum poeta saepius hac figura usus sit. (cf. fragm. 347.)

Phoen. 372 Polynices matri dicit:

ἀλλ' ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος αὖ σὲ δέρκομαι
κάρα ξυρῆκες καὶ πέπλους μελαγχίμους
ἔχουσαν, οἴμοι τῶν ἐμῶν ἐγὼ κακῶν.

---

1) Zeitschrift für die Oesterreichischen Gymnasien VIII. p. 611. 1858.

2) De stichomythia Euripidea Wetzlar 1864 pag. 2 et 13.

Versum 373 confictum esse suspicatur Kirchhoffius ex Alcest. 441 (427) ubi legitur

πᾶσιν δὲ Θεσσαλοῖσιν ὧν ἐγὼ κρατῶ
πένθους γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω
κουρᾷ ξυρήκει καὶ μελαγχίμοις πέπλοις.

In Phoenissarum loco illud ἐκ γὰρ ἄλγους ἄλγος αὖ non bene intelligitur, nam ut Valckenaerius verba vertit: „luctum enim nova lugendi sequitur materies" verti non possunt, quia verbum supplendum est, quod h. l. deesse non debet, quum ambigi possit, utrum ἄλγος nominativus sit an accusativus. Praeterea omnibus similibus locis quos attulit Valckenaerius verbum non deest, eaque de causa accipiendum, Euripidem si versum κάρα ξυρήκες κτλ. posuisset, ita scripsisse verba antecedentia, ut facile intelligerentur.

Fortasse haec suspicio confirmatur antiquo testimonio; legimus enim ad vers. 376 (Dind. III. p. 132. 2) hoc scholium ὁ στίχος οὗτος ἔν τισιν οὐ φέρεται. Versus illius reiiciendi causam nos non videmus, quamobrem suspicor, verba illa antea ad v. 373 adscripta lapsu librarii paulo infra posita esse quod facile fieri potuit, quum in codd. B. et M. qui scholium illud habent versibus qui intercedunt scholia adiecta non sint.

Vers. Hecub. 277 (279)

ταύτῃ γέγηθα κἀπιλήθομαι κακῶν

simillime legitur Orest. 66

ταύτῃ γέγηθε κἀπιλήθεται κακῶν.

quamobrem Nauckius versum Hecub. in suspicionem vocavit, certe non inepte, nam versu sublato oratio melius procedit. Atqui certis argumentis demonstrari non potest, versum illum esse subditicium; sed cur hic vel ille versus ab actore vel librario non plane apte insertus esse potest?

Hippol. v. 882 (885)

Ἱππόλυτος εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν

fere immutatus recurrit Electr. 253 (255)

οὐπώποτ' εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν.

neque dubium est, quin utroque loco ab Euripide profectus

sit. Quam facile autem haec verba ultro poetae in mentem venire potuerint, nemo non videt. Sic etiam has similitudines ultro conformatas esse pro certo habeo: Hippol. 281

ἔκδημος ὢν γὰρ τῆσδε τυγχάνει χθονός,

et Bacch. 208 (215)

ἔκδημος ὢν μὲν τῆσδ' ἐτύγχανον χθονός,

Hippol. 971 (974)

καὶ μήτ' Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους μόλῃς

et Iph. Taur. 1417. (1449)

ὅταν δ' Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους μόλῃς,

Hippol. 1082 (1084)

οὐχ ἕλξετ' αὐτόν, δμῶες; οὐκ ἀκούετε;

et Hecub. 1260 (1282)

οὐχ ἕλξετ' αὐτόν, δμῶες, ἐκποδὼν βίᾳ;

Hippol. 803 (808)

χαλᾶτε κλῇθρα, πρόσπολοι, πυλωμάτων,
ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω πικρὰν θέαν (δυσδαίμονα)

et Med. 1303 (1314)

χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιστα, πρόσπολοι,
ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν,

et Helen. 1180.

ὠή, χαλᾶτε κλῇθρα· λύεθ' ἱππικὰς
φάτνας, ὀπαδοί, κακκομίζεθ' ἅρματα.

Suppl. 1191 (1183)

ἄκουε, Θησεῦ, τούσδ' Ἀθηναίας λόγους,

et Iph. Taur. 1404 (1436)

Θόας; ἄκουσον τῆσδ' Ἀθηναίας λόγους.

Alcest. v. 212. 213 (207. 8)

ὡς οὔποτ' αὖθις, ἀλλὰ νῦν πανύστατον
ἀκτῖνα κύκλον θ' ἡλίου προσόψεται.

Valckenaerius ad Hippol. v. 682 deleri iubet ut hic insertos ex Hecub. 409. 10.

ὡς οὔποτ' αὖθις, ἀλλὰ νῦν πανύστατον
ἀκτῖνα κύκλον θ' ἡλίου προσόψεται.

Secuti sunt Valckenaerium omnes editores exceptis Monkio et

Klotzio; sed hunc omnino refellit Witzschelius (Acta. Soc. Graec. II. p. 149). Duo versus iisdem verbis repetiti suspicionem interpolationis ultro movent. Non offenderemur, si omissis verbis *ἀκτῖνα κύκλον κτλ.* legeremus solum additamentum *ὡς οὔποτ' αὖθις ἀλλὰ νῦν πανύστατον*, quum similem locutionem *οὐ νῦν μὲν πρῶτον ἀλλὰ πολλάκις* saepius repeti supra viderimus.

Nunc autem alter versus accedit, qui Hermanno monente male constructioni aptus est, quum potius exspectemus *προσοψομένη*. Praeterea alia eiusdem distichi repetiti exempla non exstant, atque si tecum perpenderis, quam facile hic versus illic inseri potuerint, sententiae tam multis V. D. probatae assentiri non dubitabis.

Similitudines fortuitae certe sunt Alcest. 401 (390) et Heraclid. 225 *βλέψον πρὸς αὐτούς, βλέψον* quae verba Hartungus quidem iniuria in Heraclidis subdita habet et Alcest. 659 (648)

καίτοι καλόν γ' ἂν τόνδ' ἀγῶν' ἠγωνίσω

et Suppl. 428

ἐπεὶ δ' ἀγῶνα καὶ σὺ τόνδ' ἠγωνίσω.

Neque aliter iudicandum est de repetitione vers. Androm. 578 (588)

σκήπτρῳ δὲ τῷδε σὸν καθαιμάξω κάρα

et Iph. Aul. 305 (311)

σκήπτρῳ τάχ' ἆρα σὸν καθαιμάξω κάρα.

nam *καθαιμάσσειν* et *καθαιματοῦν* vox est saepius adhibita ab Euripide et nonnunquam cum verba *κάρα* coniuncta invenitur. cf. Hercul. fur. 234. 256. Hecub. 1104 (1124). Helen. 1600. Orest. 1535 (1527). Quod bis *σκήπτρῳ* legimus in eo causam habet, quod reges in scena scipiones manibus gerere solebant, quamobrem illo utuntur ut telo maxime prompto. cf. Hercul. fur. 256 ubi baculi quibus senes utuntur intelligendi sunt.

Firnhaberi sententia, de qua diximus in prooemio huius disputationis, si ullo modo confirmari posset, posset conspiratione versuum Troad. 710 (708) cum Med. 271

στείχοντα καινῶν ἄγγελον βουλευμάτων

et Troad. 762 (760)

μάτην δ' ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις

cum Med. 1017 (1030)

ἄλλως δ' ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις.

Sed valde vereor ne uterque versus in Troadibus subditicius sit, quamquam suspicio certo argumento affirmari nequit. Supervacanei sunt versus in utraque fabula nisi quod fortasse v. 1017 Med. sequens participium *ἐνέγκουσα* tuetur, quod cum antecedentibus *ἐμόχθουν* et *κατεξάνθην* coniunctum optimum sensum praebet: frustra laboravi et consumpta sum molestiis duros ferens in partu dolores. cf. Suppl. 920 (921) Quamobrem non bene hunc versum reiecisse mihi videntur Hartungus et Osannus (Analecta critica pag. 86) in Medea, melius vero in Troadibus Valckenaerius et Burgesius. Alterum et in Medea et in Troadibus retinere coacti sumus, quamquam inviti, tamen libentius quam eum, quem modo reiecimus; nam saepius Euripides de nuntiis venientibus tale quid personam aliquam dicentem facit, cf. Hecub. 215 (217). Or. 848 (856). Phoen. 1085 (1075). 1039 (1034). Med. 1109 (1120). Iph. Taur. 229 (237). Rhesus 86. Troad. 232 (230) quamobrem hanc similitudinem fortuitam esse sumere possumus

Suppl. v. 277. 78 (275. 76)

ἰώ μοι· λάβετε φέρετε πέμπετε κρίνετε
ταλαίνας χέρας γεραιάς.

male huc retracti videntur Hartungo, Nauckio, Kirchhoffio ex Hecub. 62. 63

λάβετε, φέρετε, πέμπετ' ἀείρατέ μου
γεραιᾶς χειρὸς προσλαζυμέναι,

ubi optime se habent, quum dicatur, quis his verbis appelletur, scilicet chorus. Itaque mirandum est, quod nostro loco non dicitur, quae personae intelligendae sint quamquam infra v. 1121 (1115) ancillae clare appellantur. Praeterea verss. 273—86 omnes hexametri esse videntur, cf. Marklandi not. ad. h. v., qui verbis *λάβετε κτλ.* interpositis misere turbantur.

Post Iph. Taur. 1409 (1441) in codice C. (Kirchh.) legitur

τῶν νῦν παρόντων πημάτων ἀναψυχάς

quem versum quamquam etiam Hippol. 595 (600) legitur nonnulli editores in textum admiserunt, nescio qua de causa, nam versus ille praeterquam quod in codice B non legitur, nostro loco minime aptus est. Athene dicere non potest *τῶν νῦν παρόντων πημάτων ἀναψυχάς*, praesentium malorum levamen, nam omnia mala quibus Orestes vexatus erat iam pridem recesserant ita ut Athene de malis praeteritis modo dicere posset, quamobrem recte a Nauckio et Kirchhoffio versus ille omissus est.

Magnas difficultates praebet locus ille Baccharum v. 307 (314) sqq.

οὐχ' ὁ Διόνυσος σωφρονεῖν ἀναγκάσει
γυναῖκας εἰς τὴν Κύπριν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί.
τοῦτο σκοπεῖν χρή· καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
οὖσ' ἥγε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

ex quibus vers. 309 iisdem fere verbis legitur Hippol. 79 (80)

τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάνθ' ὅμως

loco non minus desperato, quam nostro. Praeterea in v. Bach. 309 ad *σωφρονεῖν* suprascripta est vocula *μή* quam etiam Stobaeus altero loco versum afferens habet; denique Stobaeus altero loco vers. 309 omittit. Connexus totius loci est hic: Pentheus vers. 209 queritur, quod mulieres a peregrino quodam qui se esse Dionysum affirmet, depraventur et in libidines incitentur ita ut in solitudines virgultarum fugientes amplexibus virorum se dedant; seque diutius hoc esse passurum negat. Ad haec Tiresias Pentheo persuadere studet, peregrinum illum re vera Dionysum illarum autem libidinum muliebrium non esse auctorem. Male Schoenius interpretatur: Non Dionysus mulieres sapientes in libidinibus esse coget, nam necessarium non est, quum pudicitia ingenio cuiusque insit, quamobrem mulier pudica in bacchanalibus non depravabitur. Sed haec interpretatio ad verba Perthei non respondet, qui minime contenderat, officium hoc esse Dionysi, pudicitiam commendare mulieribus, ut recte animadvertit Hermannus. Omnia optime procedent, si versum illum ut ex Hippol. huc illatum eiecerimus et in antecedente

versu id quod in codice B suprascriptum est μή in textum receperimus, scribentes aut

οὐχ ὁ Διόνυσος μὴ φρονεῖν ἀναγκάσει

aut

οὐχ ὁ θεὸς μὴ σωφρονεῖν ἀναγκάσει,

quod utrumque optime fieri potest, nam facillime pro φρονεῖν librarius scribere potuit σωφρονεῖν omissa voce μὴ quam altera manus addidit vel pro θεὸς scribi potuit nomen dei Διόνυσος omisso μή. Magis arridet illud Musgravii μὴ φρονεῖν, quod etiam Hermannus in textum admisit, quoniam verbum φρονεῖν etiam loco σωφρονεῖν adhibitum esse apperet e Bacch. 382 (390) cf. Musgravii nota in h. l.

Sed Hermannus retinet vers. 309 et locum interpretatur: Non Bacchus intemperantes ad venerem esse coget mulieres, sed semper in natura atque ingenio cuiusque inest temperantia et moderatio in rebus omnibus. Hoc considerare oportet. Itaque etiam in sacris Bacchicis si qua femina pudicis moribus est, conservabit castitatem. Sed quis non videt, quibus vitiis haec interpretatio laboret; nam si in cuiusque mulieris ingenio temperantia et moderatio inesset, nulla bacchanalibus vitiaretur, quamquam eas modo, quae pudicis moribus sint, illis depravari negat Tiresias, qua re evidenter apparet, sapientibus intemperantes opponi et re vera opponuntur vers. 309 sublato. Sic habemus optimum sensum: Non Dionysus mulieres intemperantes esse in venerem coget, sed in natura inest (id est: ultro venerem appetunt, non a Dionyso coactae); considerare oportet, nam si qua est mulier pudica, bacchanalibus non vitiabitur.

Locus ille Hippolyti, quo exstat versus τὸ σωφρονεῖν ἔνεστι κτλ. plane corruptus est, ut vix quisquam ei mederi possit, quod clare demonstravit Nauckius (Eur. Stud. II. p. 5) qui versum illum quidem in Hippol. suspectum habet. Equidem vero alterum locum sanare malo de altero desperans, quam utrumque male intelligere.

Bacch. v. 1017 (1028)

ὥς σε στενάζω, δοῦλος ὢν μὲν, ἀλλ' ὅμως
χρηστοῖσι δούλοις συμφορὰ τὰ δεσποτῶν.

subditicium habent Brodaeus ad Arist. Plut. 886, Nauckius, Kirchoffius ut retractum e Medea 54

> χρηστοῖσι δούλοις συμφορὰ τὰ δεσποτῶν
> κακῶς πίτνοντα καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται.

Contra Porsonus versus alter Medeae etiam in Bacchas inseratur necesse esse affirmat, quia verba χρηστοῖσι δούλοις συμφορὰ τὰ δεσποτῶν per se sensum non praebeant.

Hermannus lectionem codicum defendit ad τὰ δεσποτων supplens πλέα συμφορᾶς. Sed tam facile hoc non suppletur et praeterea quae verba exstant vertantur necesse est: Servis bonis res dominorum (adversae vel secundae) fortuna sunt (scilicet secunda vel adversa) ita ut sensus sit: Boni servi felices et infelices cum dominis sunt. Sed haec quoque interpretatio minus placet ob insolitam brachylogiam et quum mihi persuaderi non possit, Euripidem idem distichon bis posuisse, vel fortuito in haec verba iterum incidisse, dein alterum vero versum librarii lapsu e Bacchis excidisse, etiam hunc ut grammatici additamentum eiicere velim.

Recte reiecerunt Valckenaerius et plurimi editores vers Helen. 779

> φεῦγ' ὡς τάχιστα τῆσδ' ἀπαλλαχθεὶς χθονός.

ut e Phoen. 975 (972) male huc insertum. Versus plane inepte additus est, nam h. l. Helena non de fuga loquitur, sed dilucidius Menelao declarat id quod antecedentibus dixerat: σωθεὶς δ' ἐκεῖθεν ἐνθάδ' ἦλθες εἰς σφαγάς quod quum Menelaus non bene intellexisset, interrogat eam πῶς φῄς; Praeterea stichomythia accurate elaborata misere turbatur, ut iam hanc ab causam versus ille in suspicionem caderet, etiamsi non e Phoen. retractus videretur.

Longe difficillime de iis versibus iudicatur, qui in fragmentis apud alios scriptores traduntur, nam praeterquam quod saepissime illi scriptores ipsi in errores inciderunt, nobis difficultates augentur ea re, quod fragmentorum connexum cum fabulis ipsis plerumque perspicere non possumus.

Phoen. 522 (521) versum

πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα

Valckenaerius, Porsonus, Klotzius etiam in Syleo Euripidis locum habere dicunt, et habet apud Matthiaeum vol. IX. p. 334. sed Nauckius fragm. 688 demonstravit, hunc versum a fragmento prorsus abesse. Simili errore v. Hippol. 438 (436)

αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι

receptûs est in Cressarum fragm. 470. Nauck. cf. Matthiae. vol. IX. p. 132. Etiamsi haec sententia iteraretur, ea tamen non offenderemur, quippe quae proverbii locum obtineat, ideoque iisdem fere verbis repetatur opus sit. Sic non mirandum, quod Euripidem etiam cum Aeschylo et Sophocle in eadem vel similia ultro incidentem videmus. cf. Aesch. Agam. 1677 et Eur. Phoen. 397. Soph. incert. fab. 863 (Nauck.) et Eur. fragm. 412. Aeschyl. fragm. 170 (Nauck.) et Eur. Phoen. 470 quae similitudines mihi quidem nil alieni habent neque imitatione ortae mihi videntur, sed potius fortuitae ut hae quoque, quas nunc afferam; nam mirandum non est, si inter ingentem numerum similium sententiarum ab Euripide adhibitarum, una vel altera inest, quae iisdem fere verbis iteratur:

Hecub. 788 (805)

οὐκ ἔστιν οὐδὲν τῶν ἐν ἀνθρώποις ἴσον

et Eur. incertar. fab. fragm. 1035, ubi idem versus legitur.

Orest. 660 (666)

ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων;
ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ θεὸς ὠφελεῖν θέλων.

et Hercul. fur. 1325 (1338)

θεοὶ δ' ὅταν τιμῶσιν, οὐδὲν δεῖ φίλων·
ἅλις γὰρ ὁ θεὸς ὠφελῶν, ὅταν θέλῃ.

quos versus Nauckius quidem suspectos habet, nescio quam ab causam.

Eur. fragm. 239

ἀλλ' οἱ πόνοι τίκτουσι την εὐανδρίαν.

et incertar. fabul. 1039. 7.

οἱ γὰρ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν.

fragm. 241

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία
οὔτ' οἶκον οὔτε γαῖαν ὀρθώσειεν ἄν.

et fragm. 366

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία
οὔτ' οἶκον οὔτε βίοτον οὐδὲν ὠφελεῖ.

Med. 468 (471)

ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
πασῶν,

et fragm. 407. 7.

πασῶν μεγίστην τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσον.

fragm. 211.

εἰ νοῦς ἔνεστιν· εἰ δὲ μή, τί δεῖ καλῆς
γυναικός, εἰ μὴ τὰς φρένας χρηστὰς ἔχοι;

et fragm. 552.

νοῦν χρὴ θεᾶσθαι· ποῦ τι τῆς εὐμορφίας
ὄφελος, ὅταν μὴ τὰς φρένας καλὰς ἔχῃ;

fragm. 25

φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει·

et fragm. 334 ubi idem versus exstat. Denique fragm. 331

φεῦ, τοῖσι γενναίοισιν ὡς ἁπανταχοῦ
πρέπει κτλ.

et fragm. 953.

φεῦ, τοῖσι γενναίοισιν ὡς ἅπαν καλόν.

Facile apparet, has repetitiones poetae ultro in mentem venisse; qui autem putat, Euripidem hos versus ex altera fabula in alteram transcripsisse, quia novos fingere non posset, is de ingenio poetae desperat.

Versus Androm. 1255 (1283)

οὐ γάρ ποτ' ἂν πράξειαν ἐκ θεῶν κακῶς

a Stobaeo traditur coniunctus cum fragm. 214

πᾶσι δ' ἀγγέλλω βροτοῖς
ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν εὐγενῆ σπείρειν τέκνα
οὐ γάρ ποτ' ἂν πράξειαν ἐκ θεῶν κακῶς.

ubi Nauckius suadente Piersono eum omisit, quia cum antece-

dentibus non bene cohaereret. Kirchhoffius vero in Androm. versum reiecit eadem causa commotus qua Nauckius. Uterque recte iudicat; at in fragmento minor mihi difficultas esse videtur, nam si subiectum supplendum est, ibi facilius suppletur quam in Androm. quia substantivum pluraliter dictum praecedit, quod non praecedit in Androm. Qua difficultate perspecta Pflugkius versum tueri studet exemplis allatis, ubi ὅστις cum verbo singulari numero dictum ad antecedentem pluralem refertur, quorum prorsus alia ratio, nam nostris locis subiecta verborum supplenda sunt; et difficillime quidem in Androm. ad verbum pluraliter dictum subiectum suppletur ex antecedente singulari modo, facilius in fragmento ex plurali antecedente. Itaque eligendi arbitrium tibi permitto, utrum post 1255 Androm. lacunam statuas, qua sententia vers. 1255 incepta explanata et ad finem adducta sit, et versum fragmenti omittas, an nostrum Androm. 1255 subditicium habeas et e fragmento huc retractum, quod mihi verisimilius videtur; nam etiamsi ibi non apte cohaerere cum antecedentibus videtur, caute cavendum est, ne infirmo nisi fundamento, quoniam e fragmento abrupto connexum totius loci perspicere non possumus, perverse iudicemus.

Nauckius (Eur. Stud. II. p. 148) subditos habet Troad. v. 744. 45.

ἡ τοῦ πατρὸς δέ σ' εὐγένει' ἀπώλεσεν,
ἣ τοῖσιν ἄλλοις γίγνεται σωτηρία,

quia contineant paraphrasim versus insequentis

τὸ δ' ἐσθλὸν οὐκ εἰς καιρὸν ἦλθε σοὶ πατρός.

et conficti videantur ex Hippol. 1382 (1390)

τὸ δ' εὐγενές σε τῶν φρενῶν ἀπώλεσεν.

et e fragm. Alexand. 59.

οἴμοι, θανοῦμαι διὰ τὸ χρήσιμον φρενῶν,
ἢ τοῖσιν ἄλλοις γίγνεται σωτηρία.

Non sine causa Nauckius versus illos subditos habet, quamquam tales pleonasmi saepius apud Euripidem inveniuntur, quamobrem retinendi potius viderentur, nisi accederet, quod Alexander cuius est fragmentum illud, una cum Troadibus actus est ideoque

versus in Troadibus subditicii mihi videntur, quia verisimile non est, Euripidem in fabulis eodem tempore simul actis eundem versum bis posuisse.

Versum Bacch. 663 (673)

λέγ' ὡς ἀθῷος ἐξ ἐμοῦ πάντως ἔσει·
τοῖς γὰρ δικαίοις οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών.

subditum habet Nauckius et huc retractum e Bellerophonte fr. 289 ubi legitur

τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρέων

quae verba optimum sensum praebent; mire autem in Bacch. *τοῖς δικαίοις* dictum est, et quum versus si non adesset, non desideraretur, Nauckio assentiri non dubito.

Steinbergo [1]) Electr. verss. 294. 95. 96

ἔνεστι δ' οἶκτος ἀμαθίᾳ μὲν οὐδαμοῦ,
σοφοῖσι δ' ἀνδρῶν· καὶ γὰρ οὐδ' ἀζήμιον
γνώμην ἐνεῖναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφήν.

subditicios habenti libenter equidem assentior; sed vereor, ut omnibus persuadeat. Versus illi certe connexui et sensui verborum parum apti sunt, sed dubitari potest, num re vera in Antiopa fragm. 201 locum habuerint, quod quidem e Stobaeo non apparet. Itaque de hac re ambigitur.

Contra minime dubitatur de versibus 1097. 98. 99.

ὅστις δὲ πλοῦτον ἢ εὐγένειαν εἰσιδὼν
γαμεῖ πονηράν, μῶρός ἐστι· μικρὰ γὰρ
μεγάλων ἀμείνω σώφροσιν δόμοις ἔχει.

qui h. l. omnino absurdi sunt et a Stobaeo afferuntur etiam ex Cressis cf. fragm. 467 coniuncti cum verbis

γαμεῖτε νῦν, γαμεῖτε, κᾆτα θνήσκετε
ἢ φαρμάκοισιν ἐκ γυναικὸς ἢ δόλοις.

Itaque Hartungus primus suspicionem movit. Secuti sunt Nauckius et Steinbergus l. l. p. 10 quibus plane assentior.

Reliquum est ut afferam versum Androm. fragm. 150

τήν τοι Δίκην λέγουσι παῖδ' εἶναι Διός

---

1) De interpolatione Euripideae Electrae. Halle 1864.

qui recurrit in Antiop. fragm. 223

τήν τοι Δίκην λέγουσι παῖδ' εἶναι χρόνου.

sed haec similitudo nil alieni habet, nam, ut argumentum afferam quae est summa huius disputationis: Euripides saepius in diversis fabulis eundem versum iisdem verbis repetit, sed inscius. Itaque nisi alia argumenta ad vocandum in suspicionem versum iteratum accedunt, germanus habeatur si structura verborum eiusmodi est, ut facile poetae ultro sese offerre potuerit. In eadem fabula autem versuum repetitiones tolerari non possunt, nisi consilium repetitionis manifeste apparet.

Quod in tribus fabulis Orest. Phoen. Iph. Taur. et in quinque aliis: Med. Alcest. Androm. Bacch. Helen. eandem chori conclusionem legimus, Hermannus ad Bacch. ea de causa factum esse putat, quod, quum fabula acta propter surgentium strepitum ultima verba chori non bene audirentur, poeta parum curae in hanc partem fabulae impenderet. Mihi alia ratio melius placet, qua, ob causam ab Hermanno dictam vel ob negligentiam chori conclusione, quae ab Euripide profecta esset, adempta, hisce fabulis communem additam esse conclusionem pro certo habemus. Quod iam brevi post mortem Euripidis et ante exemplar confectum a Lycurgo factum esse suspicandum est, quia scholiastae de hac re tacent.

Prosper Wesener de vita sua.

Natus sum Recklinghusii a. h. s. XXXXV patre Eduardo matre Francisca e gente Landschuetz. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primordiis a patre imbutus a. LV adii gymnasium Confluentinum ibique per tres annos et dimidium et deinde Fuldae per totidem annos artibus liberalibus instructus sum. Auctumno a. LXII huius academiae Rhenanae civibus ascriptus post quater sex menses Berolinum me contuli unde anno interiecto Bonnam reverti. Ac scholas frequentavi virorum clarissimorum Droyseni, Gerhardi, Hauptii, Mommseni, Trendelenburgii Berolinensium; Calkeri, Diezii, Flcssii, Gildemeisteri, Iahnii, Knoodtii, Maurenbrecheri, Ritschelii, Ritteri, Schaeferi, Schopeni, Wachsmuthii Bonnensium. Praeterea Ritschelii et Iahnii benevolentia mihi contigit, ut huius exercitationibus archaeologicis, illius epigraphicis per annum et dimidium interessem. Quibus viris omnibus de me egregie meritis quantum debeam, gratissimo animo semper profitebor.

Sententiae controversae.

I. *Duplicem recensionem Euripidis Medeae non agnosco.*

II. *Eur. Iph. Taur. v. 580 (Kirchh.) scribendum propono:* καὶ τὰς Μυκήνας οἶσθα χοὓς κἀγὼ φίλους *(codd.* θέλω*)*

III. *Tacitus Germaniam edidit coniunctam cum Historiis.*

IV. *Stichomythiae turbatae in fabulis Euripideis aliquid ponderis attribuendum est.*

V. *Quaestores Romani antiquissimis temporibus de rebus capitalibus inquirebant.*

VI. *Euripides Iphigeniam in Aulide imperfectam reliquit.*

VII. *Ars gymnastica veterum nostrae praeferenda est.*